

CAROLVS  
DVX MEGAPOLI  
TANVS



A N N O

M D X CII

8  
13  
Q13

C. e. 19

Oriental. Diction.

o

W


Gesch. & Geograph.  
X, 1109.

ZB. 8, 1109.

Scrijt. lat. recat. in Octavo

~~Waldo~~







1780 07 23 18 30

Offenbach

ORATIO  
De Illustrissimo Principe  
& Domino, Dn.  
**CHRISTO-**  
**PHORO,**  
**D V C E M E G A P O-**  
litano &c.

*In Ill.<sup>mæ</sup> Cels. ipsius Funere,*

SVERINI

Die 26. Aprilis.

Habita  
a  
DAVIDE CHYTRÆO.



A N N O  
—  
c<sup>b</sup> b XCI.

Illusterrissimo Principi &  
Domino, Dn.

CAROLO,  
DVCI MEGAPOLI-  
tano, principi Henetorum, co-  
miti Sucrini, Domino Rostochij &  
Stargardie:

Illusterrissimi Ducis Christopho-  
ri fratri, & in RAcenburgi Episcopa,  
Successori,

Domino clemen-  
tissimo:

Orationem, in Funere fratris & antecessoris  
sui Habitam,

Debita pietatis & Gratitudinis ergo

Dicat & consecrat

David Chytraus.



AB 47 13/a, 15

57

DE  
CHRISTOPHO:  
RO DVCE ME-  
gapolitano.



Ietatis & Gratitudinis  
DEO debitæ pars est  
Principes bonos &  
Reipublicæ salutares,  
a DEO & DEI loco  
nobis gubernandis & tueñdis præfe-  
ctos, non viuos solum amare & colere,  
ac omnibus obedientiæ legitimæ offi-  
cij s venerari: verum defunctos etiam  
vero desiderio & luctu, & gratâ vir-  
tutum ac meritorum in rempublicam  
& singulos memoriâ & celebratione  
prosequi. Merito igitur, Illustriſſi-  
mi & optimi Principis, CHR I-  
STOPHORI, Ducis Megapolita-  
ni obitum, vero dolore & gemitu de-  
flemus. & illuſtrissimæ, ac regia Sue-  
corum stirpe prognatæ, conjugis ipſi-

A a us

lis ELISABETHÆ facet hoc in cœrore  
& lachrymis, mariti carissimi, à suo  
corde recens auulsi, fatum extremum  
deplorantis, luctu & lamentis moue-  
mur, ut συμπαθεῖσι illi nostram, mœ-  
sticiæ & lachrymarum societate decla-  
remus. præscritim cùm Illustrissi-  
mi Principes fratres etiam, VL RI-  
CUS & CA. ROLUS: & sororis filius  
WVILELMUS, in Livonia Curlan-  
diæ & Seinigalliaæ Dux, domini no-  
stri clementissimi, & tot principes ma-  
tronæ & virgines, ac principum legati,  
præsentia suâ, Funerem hanc pom-  
pam cohonestantes, se carissimi fratris  
& auunculi sui amore & desiderio te-  
neri, & fratriæ suæ, Regiæ ac cle-  
mentissimæ nostræ Dominae in cœro-  
re, ex animo affici, ostendant.

Cùm autem non lugere nos, sicut  
Gentes, quæ spem Immortalitatis &  
vitæ æternæ nullam habent, Paulus  
jubat: & certe DEI patris cœlestis  
consilio & voluntate vitam nobis da-  
ri & auferri: & pios hinc discen-  
dentes, in portum quietis & beatitu-  
dinis

dinis æternæ , et eam vitam quæ sola  
vita nominanda est, transferri sciamus;  
non lugubribus Nænjs & lamenta-  
tionibus, breve hoc tempus, orationi  
funebri destinatum, consumemus : sed  
ut memoria Illustrissimi & optimi Du-  
cis Christophori diuturnius conserue-  
tur , gratâ mente ac voce , breuem  
Historiam vitæ & rerum illius gesta-  
rum, & aduersis sæpè fortunæ casibus  
toleratarum , paucis nunc verbis deli-  
batam recitabimus.

**D E V M**  
æternum fontem virtutum , & princi-  
pum honorum datorem & custodem  
precor , ut dicentis mentem ac lin-  
guam gubernet. A tota verò hac Il-  
lustrissima principum & procerum ac  
doctorum corona, reuerenter peto , ut  
benignè attenteq; hanc vitæ defuncti  
principis commemorationem , non  
prorsus cognitu ingratam nec iniu-  
cundam , ut spero , futuram , au-  
diant.

**N**atus est Illustrissimus Dux Chri-  
stophorus anno Seruatoris Christi,  
post mille quingentos , tricesimo se-  
ptimo;

**A 3 ptimo;**

ptimo, AVgustę Rhetorum: vbi Illmæ  
matri, principe m maritum, in aulam  
Bauaricā comitanti, subitis partus do-  
loribus oppressæ, subsistendum fuit.

Nomen Christophori, à teste baptis-  
mi accepit, episcopo eius temporis  
Augustano, CChristophoro à Stadion:  
cujs sapientiam, pietatem, & in re-  
ligionis controversijs tūm recens mo-  
tis prudentiam & moderationem exi-  
miam, immortalitati, Erasmus Rote-  
rodamus scriptis suis immortalibus  
consecrauit.

Pater Christophori, Albertus  
dux Megapolitanus, Magni filius,  
Henrici nepos, Ioannis conditoris  
Academiae Rostochiensis pronepos  
fuit: quo nullum in Imperio Princi-  
pem, excelsi animi & corporis He-  
roici dotibus pulchriorem, & magis  
augusta maiestate conspicuum, illa  
ætate floruisse accepimus. Sed hunc  
nimis mature decedentem, Christo-  
phorus decimo ætatis suæ anno ami-  
sit. Matrem ANNAM ha-  
buit, filiam Joachimi I. electoris  
Brande-

Brandenburgensis, quem ut cæteris ita-  
genij & fortunæ ornamenti, sic Latini  
& Germanicè dicendi facultate  
ac eloquentiâ, cæteris principibus  
præstitisse, & hac oratoria laude, in  
conuentibus Imperij, & alibi, dele-  
ctatum fuisse, intelligimus. nam in Co-  
mitijs Augustæ frequentissimis anno  
1530, proceribus regni Croatiae, &  
alijs gentium exterarum legatis, latinâ  
oratione, Imperij nomine, publicè  
respondit. cumq; ex principibus ec-  
clesiasticis nemo tūm idoneus adesset,  
qui Romani Pontificis legato, Cardi-  
nali Campegio, de aduentu in Ger-  
maniam felici gratulari vellet: vices,  
illorum nomine, latinè orandi, ipse  
subiuit. Huius Joachimi auus,  
& Dux Christophori abauus fuit  
ALBERTUS, quem ob Heroicam a-  
nimi magnitudinem & fortitudinis  
bellicæ præstantiam, Itali, Achillem  
Germanicum indigetarunt. Iam  
si de vtriusq; familiæ Illustrissimæ,  
Megapolitanæ & Brandenburgensis,  
splendore, & principum veterum vir-

A 4 tu.

tute aerebus gestis orationem insti-  
tuere vellem , quantus & quam am-  
plus se dicendi campus aperiret . Sed  
in præsenti laudatissimi principis Chri-  
stophori historia , non opus est aliun-  
dè , vel ex maiorum virtute , alienas  
laudes caprare : cùm proprijs cum a-  
bundare , ipsa orationis series demon-  
stratura sit .

Puer enim , cùm ab Heroicis pa-  
rentibus , virtutum semina accepisset ,  
literis etiam & doctrinarum studijs ea  
excolere ac expolire cœpit : nauante illi  
erudiendo operā fidelem , VVOL F.  
Gango Leopoldo , Fribergæ in Mis-  
nia nato , elegantis & politi ingenij ,  
doctrinæ , ac industriæ viro , qui illu-  
stris Iudi Gustroviensis studia fideli-  
ter & feliciter postea rexit . Nam  
Christophorus , cùm puéritiaæ an-  
nos vix egressus esset , ex medio stu-  
diorum cursu abreptus , in Galliam ob-  
ses , à fratre Iohanne A L Berto , (qui  
custodem fratri & aulæ magistrum vi-  
rum nobilem Joachimum CLeinoui-  
um adiunxit ) ad HENricum II . Fran-  
ciae

et regem, Francisci illius magni  
lium, missus est. Cùm enim Ca-  
rolus V. IMP. post victoriam belli  
Germanici, & captos duces, Ioh.  
Fridericum electorem Saxoniæ & Phi-  
lippum Landgr. Hassiæ, secundissimā  
fortunā, velut Bellerophontes Pega-  
so vectus, in cœlum euolare, & Re-  
ligionem veram, promulgato libro,  
quem INT̄erim nominabant, mu-  
tare & abolere conaretur: & princi-  
pes captiuos, in primis Hassiæ Land-  
grauium, preter Mauricij generi (cu-  
ius fidem ille secutus erat, opinionem  
ac expectationem, in Salinis Saxoni- : 547.  
cis, post factam coram Cæsare de-  
precationem, cùm se planè reconcilia-  
tum Cæsari existimaret, à Duce Al-  
bano inuitatum in arcam ad cœnam,  
eaq; finitâ domum redire cupientem,  
additis Hispanorum cohortibus, de-  
tentum ac custodiæ traditum, særissi-  
mè rogatus non dimitteret: Maturi-  
cius, ut fidem socero datam seruaret,  
& Libertatem Religioni ac Imperio,  
propemodum amissam (omnia enim  
pro

pro arbitrio aula Cæsaris victoris in  
Imperio administrabat & restitueret :  
& consilia , quæ tum à Carolo agita-  
bantur , transferendæ in filium Phi-  
lippum Hispaniæ regem Successio-  
nis in imperio , impediret : Bellum  
aduersus Cæsarem mouere instituit.  
ideoq; Henricum Galliæ regem (quem  
nimium crescens Caroli potentia & a-  
liæ iniuriæ vrebant ) & principes  
Imperij aliquot, dum Magdeb. Cæsaris nomine  
obsideret, confoederatos & socios sibi  
contra Cæsarem adsciuit. Huic foederi  
se Ioannes Albertus, Dux Megapolita-  
nus, solo veræ religionis & salutis ec-  
clesiæ & libertatis Germaniæ amore  
& zelo adductus, coniunxit. & ob-  
sidem fidei Gallo datae , fratrem ju-  
niorem Christophorum ; ut VVilem-  
mus Hassiæ princeps, fratrem Philip-  
pum , & alij alios , in Galliam mis-  
sus, dederunt. Ductis autē aduersus  
Carolum, Oeniponte tūm pro Conci-  
lio Trid. excubantem, copijs , & fuga-  
to inde Cæsare , & alibi vrbe Metensi  
à Galliæ rege occupatā , PACI Stra-  
ctatio

Etatio, rege Ferdinando intercedente,  
Patavij instituta & confecta est. Quæ  
fundamentum & firmamentū publicæ  
salutis & tranquillitatis Germaniæ eo  
tempore fuit. & Pacem Religioni ac  
ecclesijs nostris (quæ nullo vñquam  
tempore antea impetrari à Cæsare  
potuit) perpetuam , & Libertatem  
imperio antiquam , & principibus  
captiuis, ex quinqennij integri custo-  
diâ solutis, conditionem pristinam re-  
cuperauit. Ea pace confectâ, Ioannes  
Albertus, dux Megapolitanus, ablega-  
to in Galliā Joachimo Malzano, baro-  
ne in VVarteberg, qui Francisco Regi  
olim militauerat, fratrem Christopho-  
rum adolescentem in patriam reduci  
curauit. Cumq; inter principes fra-  
tres Iohannem Albertum & Ulricum  
seniores, ditionem à patre & patruo  
Henrico relictam paulò post diuiden-  
tes, ita conuenisset, ut juniorum fra-  
trum; Christophori, Iohannes Alber-  
tus; Caroli, dux Ulricus, curam su-  
sciperent: fortè accidit, ut episcopus

tum

gum Raceburgensis, Christophorus  
Schullenburgius, de mutanda vitæ  
conditione et hæredib, suscipiēdis co-  
gitans, Episcopā collegio resignaturius  
esset. Certa igitur pecuniae summa, à lo.  
Alberto accepta, Ius suum, si atri Io.  
Alberti, duci Christophoro concessit.

Qui cā occasione, Raceburg. diacessis  
Gubernationē adeptus, totos deinceps

38. an. justē et feliciter administravit.

Postea, ut maiores dignitates ec-  
clesiasticas, & commoda ampliora  
Christophorus obtineret: Ioannes Al-  
bertus, futuri socii sui Borussiæ du-  
cis consilio, fratrem Christophorum,  
VV. I. Lmo Rigensi archiepiscopo,  
ducis Borussiæ fratri, de coadiutore  
& successore adsciscendo deliberanti,  
multorum Regum, Ferdinandi Cæ-  
sar, Christiani Daniæ, Sigismundi  
Poloniæ, & plerorumq; Imperij ele-  
ctorum & principum literis commen-  
dat. & comitatu principe digno instru-  
ctum in Liuoniā mittit, ubi amanter  
a senz archiepiscopo exceptus, præ-  
fecturis aliquot, vnde familiæ sumtus  
principe

1554.

1555.

Novemb.

Septem.

principē dignos sustineret; donatus  
est. Quib⁹ tamē vix ultra se-  
mestre frui tranquillē potuit. Nam  
cæteri Liuoniæ proceres, summis  
ordinis magister, episcopi, com-  
mendatores, & ciuitas Rigensis, æger-  
tissimē ferentes, contra VVolmariensis  
conuentus decretum, ipsius archiepi-  
scopi subscriptione confirmatum, prin-  
cipem extetnum, cæteris ordinibus  
in scijs & inconsultis, in Livoniam vo-  
catum esse; sumtis armis, duce Vil-  
elmo Furstenbergio, Magistri ordi-  
nis legato, archiepiscopum vnā cum  
coadiutore nouo, Kakenhusij obsef-  
sos in suam potestatem redigunt. &  
archiepiscopum toto anno, in custodia  
principē indignā, Aitselæ: Duce in ve-  
rō Christophorū laxius & liberalius  
habitum, in arce Tridentina, detinent.

Hoc intestino Liuoniæ motu ex-  
citatus Sigismundus Poloniæ <sup>rex</sup>  
Archiepiscopi avunculus, & Albertus  
Borussiæ dux, vt capto fratri opem  
maturam ferret, exercitus aduersus  
Liuoniæ ordines contrahunt, ac rege  
<sup>equitum</sup> Polo-

Polono ad Liuoniæ fines cum exercitu progresso, tandem Legatorum Ferdinandi Cæsaris, ac electorum omnium intercessione, lis composita, &c  
1557. Archiepiscopus & dux Christophorus s. Ostob. coadjutor, posthabito illò V Volmariensi decreto, in integrum restituti sunt.

Cùm igitur ex primi aditus nouæ dignitatis difficultatibus tandem emersisset Christophorus, & deinceps tranquillè commodis suis summâ cum spe amplissimi principatus, mox accessuri, frui posse, & omnia salua & cunctis periculis libera & secura videbentur: ecce, præter omnem ipsius & cæterorum Liuoniæ ordinum expectationem, noua & terribilis tempestas à Magno Moscorum duce excitatur, qui altero, post restitutum Christophorum, mense, bellum Liuonis, etiam religionis prætextu, quòd Templa Russica in vrbibus Liuonicis destructa, non instaurarent, & cæteras pacis conditiones aliquoties promissas non seruassent, per literas indicit. ac mox

die 27.

Nouemb.

mox ineunte anno, immisis in Lit<sup>1558</sup>  
uoniam exercitibus, immani crudeli-  
tate, direptionibus, incendijs & cædi-  
bus, grassatur. oppidum Neruam <sup>12.</sup> Maij  
expugnat, vicinas arces & prouincias,  
diffugientibus metu consternatis præ-  
fectis, desertas, sine ullo labore & pe-  
riculo in potestatem redigit. urbem  
Derbatum, nullo à Senatu & ciuibus  
defensionisconatu edito, sponte tradi-  
tam occupat. Reualiam minacissi-  
mis literis sibi dedi flagitat.

Quæ occasio fuit, ad Christianum  
III. Daniæ regem, (à cuius ante-  
cessore V Valdemaro II. Reuala  
primū condita, & insigni trium  
Leonus Danico, & priuilegijs præ-  
cipuis ornata erat) legatos à Senatu vr-  
bis & Nobilitate Esthonica mittendi.  
Qui urbem & agrum Harriæ, VVi-  
riæ, & Esthoniæ vicinum, Regis Da-  
niæ patrocínio & tutelæ offerrent. Sed  
optimus Rex, satis sibi ditionum &  
populorum à D E O subditum esse,  
respondit, quorum gubernatio plus  
sibi curarum, molestiæ, & laborum  
pariat,

pariat, quam sustinere in hac infirmitate humana queat. nec se alienos subditos petere, nec adeò procul dissitos defendi à se, ut optaturi sint, commode posse: Aliquot igitur millibus aureorum, & commeatu, ac tormentario puluere donatos, in Liuoniā remisit. cuius princeps, seu ordinis magister, Fūtstenbergius, qui adeò antea, in bello aduersus archiep. & Ducem Christophorum intestino, ferocierat, cum in summo periculo & nouaculæ cuspidē res Liuonicæ versarentur, de deponenda Gubernatione cogitans, commendatorem Duneburgicum **GOTHARDVM**, Heroem magnanimum, prudentem, piūm, scientia rei militaris & fortitudine bellica insignem, qui postea Primus **CVRĀNDIÆ DVX** creatus est, coadiutorem ac successorem sibi adsciscit. qui eodem autumno, adiunctā sibi archidiecōesis Rigen sis nobilitate, cui Christophorus dux Megapol. coadiutor p̄fectorus erat, in Derbatensem prouinciam expeditiōnem

nem suscepit, & parte copiarum Mo-  
schii ad Toreferam profligata, arcem  
Ringen recuperavit. Quâ impres-  
sione Moschus irritatus, consistente  
jam frigore hyberno, ingentem exer-  
citum in Liuoniam remisit, qui totam  
archidioecesin peruagatus, ad urbis  
Rigenfis moenia fere accessit.

1559.

Cum autem atchiepiscopus & or-  
dinis magister, solos se, ad resisten-  
dum hostitiam potentia ac immensi, im-  
pares esse, nec ab Imperio Romano  
cuius prouincia cum Liuonia erat, iu-  
uari cernerent; Sigismundum Po-  
loniae regem vicinum, & archidioce-  
cesis Rigenfis protectorem regarunt,  
ut defensionem Liuonie, saluo tamen  
Imperi Romani iure, susciperet, &  
pro sumptibus belli, nouem arces ac  
praefecturas pignoris loco acciperet,  
Quas Liuonie magistratibus postea  
redimere sexcentis millibus aureo-  
rum liceret. Quæ defensionis pa-  
cta cum confecta essent, Fursten-  
bergius officio se abdicans, GOT-  
HARDO supremam magistri ordinis

B nis

nis seu principis Liuoniæ dignitatem cedit. Qui eodem autumno, vna cum Christophoro Megap. expeditiōnem in prouinciam Derbatensem denuò suscepit, & urbem Derbatum aliquandiu obsedit. Sed præter ve- litationes cum Russis, qui fortiter ur- bēm tuebantur, nihil ob hybernarum tempestatum fœditatem, ad summam rei pertinens, effici potuit.

Paulò post, MAGnus Holsatia dux, iuri in Holsatia suo renun- cians, à Friderico Daniæ rege, fra- tre, in Liuoniā missus est, ad quem multis ex nobilitate Liuonica, de- ferto principe suo ordinis magistro, confluentibus, multa imperiosius iusto Magnus, à Magistro ac ordi- ne exegit. Quæ cūm recusarent, noui intestini belli incendium exar- surum videbatur, nisi archiepiscop. VVilelmus, illiusq; coadiutor Christophorus, dux Megapolitanus, se, in- stituta P A Rnouiæ tractatione, in- terposuissent. Vbi dūm conuen- tūs principes isti agunt: Russi denuò expedi

expeditione in Liuoniam suscepta,  
multas regiones peruagati diripuerunt.  
In Lettonia verò , exercitum Liuonum , quem equitum Liuoniæ magister & cæteri commendatores ducebant , propè Ermas profligauunt , captis ordinis equitibus reliquis & in urbem Mosquam abductis . Vellinum etiam , vbi Furstenbergius , prior ordinis magister , reliquæ vitæ sedem delegerat , oppugnarunt , & tridentibus arcem proditoriè militibus præsidiarijs , praetextu stipendiorum non solutorum , ceperunt .

Ita secundissimo victiarum , si ne vlla offensione , cursu , & prospera æquabili , perpetuaçþ fortunâ , vndiquaçþ , Russis in Liuonia grassantibus , aspirante , cùm in summis angustijs Liuoniæ principes reliqui versarentur : nec vlla ab Imperio vel proprijs viribus spes defensionis appareret : Polonus etiam , cùm urbem Reualiam se Sueci patrocinio subiecisse ; aliquot etiam prouincias , Magno Holsatiæ duci subesse , cerneret : non amplius

B 2 tencri

teneri prioribus pactis cum principi-  
bus Liuoniæ initis vellet, & conatum  
omnem defensionis aduersus Mo-  
schos recusaret, nisi archiepiscopus  
& magister ordinis, cum omnibus  
subditis, se regis patrocinio & tutelæ  
penitus commendarent, & solenni fi-  
delitatis juramento deuincirent: Ne-  
cessitas extrema & ineuitabilis Liuo-  
nos coegit tandem ad Poloniæ regis  
voluntatem se accommodare.

CHRISTOPHORUS verò DUX  
Megapolitanus, cùm primum subie-  
ctionem Poloniæ regi faciendam ab  
archiepiscopo & ordinis Magistro de-  
cretam esse cognouit, antequam tra-  
stationes de conditionibus subiectio-  
nis solennes finirentur, alium, præter  
Imperatorem Romanum, agnoscere  
summum magistratum recusauit. &  
relicto archiepiscopo, in Germaniam  
rediens, ad Ferdinandum Cæsarem,  
consilium & opem petitum, profectus  
est, vbi cùm nihil à Cæsare & Imperio  
labentibus Liuoniæ rebus spe certæ  
affulgeret: alia deinde consilia, cùm

ERI

*Suec*ia rege, primâ specie lœta, tractatu  
dura, exitu tristia, suscepit. Ericus  
enim, cùm Reualiam & vicina loca jam  
teneret, Rigam quoq; aliquoties solli-  
citatam regno suo adiungere molieba-  
tur. Itaq; Christophorum ducem Me-  
gapolitanum, Stockholmiam euocat, &  
decem apud se hebdomadas detentū,  
tandem cùm de morte archiep. nunci-  
us, tametsi tunc incertus, adferretur:  
turmis aliquot equitum ac peditum co-  
hortibus instructum, in Liuoniam mit-  
tit, vt Erici auspicijs & auxilijs, archidi-  
œcesin & urbem Rigensem posside-  
ret. Exeunte igitur anno Reualiam  
Christophorus trafecit. Inde progres-  
sus, dioœcesin Rigensem, mortuo ante  
paucos dies Vilelmo archiepiscopo, cui  
coadiutor et successor adscitus erat, va-  
cantē inuasit. Sed cùm subiectionis &  
obedientiæ Polonorum regi præstan-  
dæ mentionem nullam admitteret, &  
iam apertum inter Poloniæ & Sueciæ  
reges bellum geri inciperet: & Chri-  
stophorus, Erici, hostis Polonorum  
patrocinio & auxilio palam nitens

1562.

1563.

4. Martij.

B 3 dioœ.

dioecesisin' occuparet; à Gubernatore  
Liuoniae, GOTHARDo, Curlan-  
diæ duce primo (cui fata, sororem du-  
cis Christophori, coniugem post tri-  
ennium futuram, destinaran) Dale-  
mi, duobus à Riga milliaribus, dum  
feras venatur, captus, & in Poloniā  
missus est. Vbi sexennium integrum,  
Rauæ in custodia satis molestâ & du-  
râ, remotis ab eo omnibus ministris &  
familiaribus, & substitutis custodibus  
Polonis, quorum sermonem non in-  
telligebat, detentus fuit, donec tandem  
crebris IOannis Alberti, in Poloni-  
am ipsius causa prosecti, & ducis VL-  
rici fratum, & aliorum principum  
intercessionibus liberatus, in patriam  
redijt.

Vbi, ex tot aduersis fortunæ ca-  
sibus eluctatus, reliquum vitæ cur-  
sum tranquilliores, Dei beneficio,  
ac prosperiorem exegit. nam & sapi-  
entissimo Imperatori Maximiliano  
I I. ob virtutem & fidem carus erat,  
qui pensionem annuam aliquot mil-  
lium aureorum, Duci Christophoro,

vt

ut bello Austriacis ingruente , sua vir-  
tute & fidis auxilijs præstò esset , præ-  
buit : & Rodolphus filius , imperij pa-  
terni hæres , id beneficium clemen-  
ter continuauit . Cùmç ad Epí-  
scopen Raceburgicam , frater Ioannes  
Albertus aliquot præfecturas fruen-  
das adiunxit , Dorotheam , Fride-  
rici I. Daniæ regis filiam , virginem  
pietate & modestia singulari prædi-  
tam ; cuius soror , ingenio & omni  
virtute excellens Heroina , in Illmi pr.  
fratris VLR Ici matrimonio viuebat ,  
coniugem duxit . Quam et si statim  
post biennium amisit : tamen non  
mediocriter res ipsius domesticæ eo  
matrimonio auctæ & constabilitæ  
sunt .

Quinquennio post , fortissimi &  
felicissimi Suecorum & Gothorum  
regis Gostaui filiam E L I S A Betham  
omnibus virtutibus Regiæ virgini ac  
Heroinæ conuenientibus ornatam ,  
connubio sibi iunxit , & Sacro nuptia-  
li Stockholmiae celebrato , adiunctâ ipsi  
ab affine Ioanne III. Gothorum rege ,  
quinq.

Die 23. quindecim Nauium armatarum clastes,  
Martij & consiliarijs aliquot, cum coniuge Re-  
gia, ut Peleus olim cum Thetide, per  
mare Balticum, in ditionis Megapo-  
litanæ portum & urbem VVismariam  
appulit. Vbi honorificè à ciuibus ar-  
matis, & Francisco ac Mauricio Saxo-  
niæ ducibus, & ciuitatum vicinarum  
legatis exceptus, cùm aliquot dies  
quieuiisset, Gadebusam profectus est,  
quod oppidum, inter cetera, præsen-  
tibus regijs legatis, alimentorum no-  
mine, coniugi regiæ attribuit. cum qua,  
in coniugio pleno pietatis & suavitatis,  
vndecim reliquos viræ suæ annos con-  
cordiss. exegit, & vnicam filiam, MAR-  
garitam E L I Sabetham, generosissi-  
mâ indole puellam principem, ex ea  
suscepit. Quæ nimis mature nunc  
orbata patre, in recenti hoc luctu, ma-  
tri dolorem geminat.

Sedem Gubernationis & familiæ  
suæ, dux CHRISTOPHORVS,  
Schonbergæ, oppido & arce diœcesis  
Raceburgensis, præcipuam habuit.  
ac primus in ea Diœcesi Reuerendi  
ciæ

& nobilis Dn. L VDO Lphi Schakij,  
ecclesie prepositi, consilijs & fide adiu-  
tus, deletis abusibus & Idolis pontifi-  
cijs, sinceriorem Euangelij doctrinam  
& legitimum sacramentorum usum,  
in templum cathedralē Raceburgi in-  
uexit. cum eō usq; sacrificia Missarum  
pro viuis & defunctis Idolatrica, offer-  
ri usitatum fuisset. Puram Euange-  
lij doctrinam amauit ipse, & in pub-  
licis ecclesie congressibus & priuatim,  
attente & religiosè audiuit & legit. ac  
mediocri benignitate ecclesias, earum-  
què ministros fouit. Literarum etiam  
studia & scholasticos pauperes libera-  
liter adiuuit, & suo sumtu, in schola  
Suerinensi & Academia Rostochiensi  
stipendijs honestis aluit. Quam be-  
nignitatem, utinam alij etiam principes  
multi piè imitantur. Nam ad hos v-  
sus bona ecclesiastica præcipue conver-  
tenda erant. Nec scio, an ullus princi-  
pum puriorem euangelij doctrinam  
amplectentium, in hoc genere munि-  
ficienior sit Illustrissimo duce VVirte-  
bergensi Ludoico, qui non solū in

Mo-

Monasterijs suæ ditionis singulis , pauperes subditorum filios , ingenij bonis præditos , gratis ali & institui curat ; verum etiam Tübinger in Academia , collegium peculiare , centum sexaginta alumnorum , magno sumtu benignissimè souet . ex quo , multis Academijs , celebres Theologiæ professores , & plerisq; superioris Germaniæ vrbibus Imperij & alijs ordinibus , boni pastores & Superintendentes , velut ex equo Troiano , magna copia suppeditantur . cùm apud nos magna mediocrium Theologorum penuria & iam existat , & paulò post maior futura sit .

Sed ad Ill. ducē Christophorum redeo , cuius fuit ἄψευδες ἥθος , εὐπρεπής οὐ σόμα : Natura ingenua , verax & candida ; omnis fuci , simulationis , dolis & fraudis expers ; amorem & indignationem in fronte promptam gerens . Singularis erga subditos moderatio , clementia , lenitas , & verè paterna bonitas & comitas , qua non fastidiosè à se repellebat quenq; negotia sua propositurum , sed humaniter audiebat omnes

omnes. quibus cunctis benignè respon-  
sum est : præstitum quod debuit ac po-  
tuit promptè ; iniuria consulto facta  
nemini ; venia data multis, etiam indi-  
gnis.

Priuatim verò , post lectionem  
Historiæ sacræ & imperiorum , præci-  
puo quodam Naturæ rerum cogno-  
scendæ amore , & secretioris istius  
Philosophiæ Alchimicæ studio teneba-  
tur , cuius adeò peritus erat , ut artifi-  
ces etiam posset exercere . Memo-  
riâ enim admodum firma & prompta  
prædictus , pleraque à se lecta vel au-  
dita , & quos semel de facie vidisset ,  
vel nominari audiuisset , tenacissimè  
retinebat . Inter cæteras liberales  
artes , Musicâ in primis delectabatur ,  
& recreationem animi ac voluptatem  
inde præcipuam petebat . & Musicos  
in aula semper alebat . deniq; ne plu-  
ra consecter , verè bonus & præcla-  
rus & laude dignus princeps  
erat , & omnibus virtutibus , bono  
principi & patri conuenientibus , a-  
more & studio veræ Pietatis , benefi-

cen-

tentia erga pauperes, Iustitia, Veritate, Clementia, Comitate, & Fide excellebat. Exitus etiam vitae placidus & beatus fuit. cum pridie ab eo discessisset Illust. Curlandiæ & Semigalliæ princeps A NNA, soror illius carissima & vnica; singulare pietatis, mansuetudinis, & humilitatis Christianæ exemplum ac speculum illustre; quæ cum filio Illmo duce Curlandiæ V Vilmo, eum postremò inuiserat. Huic amantissimè & summæ cum charitatis & benevolentiae fraternæ significacione, penes se habitæ, multis cum lachrimis in patriam redituræ valedixit, mutuum utriq; in beata vita congressum precatus, quoniam sentiret ipse, non longè supremam vitæ suæ metam abesse.

Idem, postremâ vesperâ, coniugi & filiæ, in Gynæcio, antequam cubitum iret, valedicens, inter cæteros sermones amiciss. & dulciss. dixit, se fideли Domino DEO coniugem & filiam commendare, quas in his terris non diu visurus esset. Paulo antè in cœna, concio-

concionem eo die , ex secundo capite die 9. 3.  
Exodi , de D E O exaudiente tandem Martij .  
suspiria & gemitus Israelitarum ab  
Ægyptijs adflitorum , à se auditam ,  
Cancellario suo , D. Vito , qui tūm per-  
egrè redierat , recitauit , & mirificè eâ se  
delectatum & recreatum esse ostendit .  
Prouectum etiam & dona iuuenis pa-  
storis sui laudauit , qui doctrinam de  
Patientia & liberatione piorum , multis  
sacræ scripruræ & historiarum exem-  
plis , aptè accommodatis , illustrasset .

In cubiculo , ut moris ei semper fuit ,  
precatione vespertina & symbolo pro-  
nunciato , totam noctem placido &  
suavi consopitus somno quieuit , do-  
nec in crepusculo matutino , cùm tertia  
vice sternutasset , erecto capite , & com-  
plicatis manibus , sonoravoce IESVM  
nominans , reclinato iterum corpore  
& oculis clausis , lenissimè & beatè in- die h  
Domino obdormiuit .

4. Martij.

Multi imperiti & agrestes , subi-  
tam & Improvisam mortem , velut iræ  
DEI & damnationis signum , alijs ex-  
probrant .

Quam ut impijs , qui

ante

ante poenitentiam opprimuntur, maxi-  
mè horrendam & deprecandam esse  
fateor: ita pio homini, qui manè &  
vesperi piâ precatione vitam & mor-  
tem suam, Christo commendare solet,  
eximij amoris & Gratiæ DEI indi-  
cium esse expeditam & repentinam  
hanc, & nullis obnoxiam diuturnis  
cruciatibus, in alteram & beatam vi-  
tam migrationem, certum est. ut Ioan-  
nes Matthesius, cùm de filio viduę in  
Nain resuscitato ecclesiam docuisse,  
tribus post concionem horis Apople-  
xia subito extinctus, verè ēvē Φημία ex-  
pirauit. Lutherus ipse, cùm vesperi  
mensæ assidens, de pijs in vita æterna  
se mutuò agnitus grauiter disseruif-  
set, paucis post medium noctem horis  
decessit. Hieronymum VVellerum  
virum optimum & Theologum verè  
pium, manè in lecto mortuum dome-  
stici inuenerunt. de quibus verè pro-  
nunciat Filius DEI, si quis Verbum  
meum seruauerit, mortem non vide-  
bit in æternum h. sine ullo sensu dolo-  
rum mortis, sine ullo animi & corpo-  
ris

ris cruciatu , sine ullis pauorisbus , cu-  
ris , angonibus , mortem blando con-  
tinuatam sopori obibit.

Nos verò talibus subitæ ac improuisæ  
mortis exemplis , de summa vitæ nostræ  
incertitudine & fragilitate , & singulis mo-  
mentis subitâ morre , nobis quoque impen-  
dente , moneri statuamus , ut maturè & ve-  
ro corde ad D E V M conueriamur , ut o-  
mni tempore ad piam ex hac vita migratio-  
nem parati simus.

Sic igitur placidâ compostus pace quie-  
uit Illmus princeps Christophorus , proxi-  
mâ die 4. Martij , anno ætatis Heroum Cli-  
macterico , quinqua gesimo sexto . Quem  
multis regibus ac principibus , sapientiâ &  
virtute præstantibus , Friderico II. Imp. Fri-  
derico I. Daniæ regi , ducis Christophori so-  
cero , Christiano III Daniæ regi , Mathiaæ  
Ungariæ regi , quem magna satentur Facta  
fuisse Deum , fata fuisse hominem : Alberto  
Saxoniæ duci , quem dextram manum Im-  
perij vocarunt , & alijs ( ut ingenijs ac do-  
ctrina clarissimos , Dantem Flotentium ,  
Angelum Politianum , Andream A L C Ia-  
tum , Georgium Fabricium , vero D E O &  
Musis carissimum vatem , & alios prætere-  
am ) fatalem fuisse constat .


Cùm autem non casu , sed certo D E I  
con-

consilio , vitam principibus & priuatis dari  
& auferri sciamus; & pios ex hac vita disce-  
dentes , ab omnibus molestijs curis & ango-  
ribus liberatos , in æternam & beatam DEI  
& ecclesiæ cœlestis consuetudinem trans-  
ferri certum sit : Illustrissimo & beato lau-  
datissimæ memoriae principi C H R I Sto-  
phoro , de felici hac & placidissima, in me-  
liorem vitam ac sempiternam , migratione  
gratulemur. & Filium DEI dominum no-  
strum I E S V M C H R I stum, datorem &  
custodem principum bonorum & patriæ  
salutarium oremus , ut Illustrissimam prin-  
cipem & dominam E L I S A Betham , de-  
functi principis viduam , & filiam genero-  
fissimam , ut nomine sic ingenio & virtute  
matri similem futuram : & Illustrissimos  
principes nostros superstites, VLRICum &  
C A Rolum & SI Gism. Augustum, duces  
Megap. & sororis filium, VV Ilelmum, Cur-  
Jandiæ & Semigal. ducē , clementer ducat,  
doceat, gubernet, et diutissimè incolumes et  
florentes seruet, ut eorum gubernatio DEO  
grata , ecclesiæ & Reipublicæ patriæ salu-  
taris ; & ipsis ad posteros honorifica sit &  
gloriosa , ut memoria eorum in bene-  
dictione, & laus in cclesia sanctorum  
maneat in omni æternitate.

D I X I.

47 13/a, 13

(x2204877)



# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



# ORATIO De illustrissimo Principe & Domino, Dn. **CHRISTO-** **PHORO,** **DVCE MEGAPO-** litano &c.

In Ill.<sup>ma</sup> Cels. ipsius Funere,  
SVERINI

Die 26. Aprilis.

Habita

DAVIDE CHYTRÆO.



ANNO  
—  
ab b XCI.